38

HONORES SUPREMI

Quibus

Præmaturum Obitum

FŒMINÆ

Lectissimæ & Virtutibus sui sexus ornatissimæ

DOMINÆ

ANNÆ REGINÆ BEHEMIÆ,

Viri Magnifici, Nobilissimi atq; Amplissimi.

DOMINI

GEORGII HÜBENERI,

Regiæ Civitatis Thorunensis Cos. & Quæstoris Supremi gravissimi, Administratoris omnium Bonorum Terrestrium aliorumq; Proventuum Ejusd. Civitatis Generalis, solertissimi,

CONJUGIS DESIDERATISSIMÆ,

Anno à reparata salute M. DC. LXXXII.
ætatis verò XX.
d. 14. Julii ad D. Mariæ

honorificè tumulandæ
cohonestare debuerunt

PROFESSORES & alii DOCENTES
in Gymnasio Thorunensi.

ANNO M. DC. LXXXII.

NUnc iterum completo domum, Vir magne, querelis,
Funereos mœsto pectore rumpe sonos,
Tristia perpetuis madeant ploratibus ora,
Flebilis atratos compleat unda sinus.
Pro viridi myrto succedat dira cupressus,
Tristitiam referat nigra colore domus
Questibus his veniam, credas mihi, nemo negabit,
Nemo tuas poterit non doluisse vices,
Sit nisi Marmaricis crudelior ipsa leænis,
Sæviùs aut si quid barbara terra vehit.
Mira videbatur res hæc, connubia qvondam
Cur tua mens fuerit spernere visa diu?
An tædas ideò fuit aversata jugales,
Cœlibe qvod vitâ nil prius esse potest?
Fallor. Tunc præsaga mali mens horruit istum,
Qui tibi nunc vexat pectora mœsta dolor.
Nec fuit ille timor vanus. Namq; optima conjux
Visa qvidem thalami jura subire tui:
Attamen ut primos partus Lucina resolvit
Magno cum luctu dum peperit periit.
Behmia conjugii posthæc dum damna prioris
Compensat magnâ prosperitate viro,
En mors sæva iterum paribus se polluit ausis,
Conjugis ac Vitæ dira pericla parat.
Hæc eadem quando cernit se fata subire,
Heu! querulo tales edidit ore sonos.
Me miseram! Nupsi. Cur sic improvida nupsi?
Cur subii socii vincla marita tori?
Aut si non aliter crudelia fata tulere,
Cur saltem sterilis non fuit ille torus?
Debuerat ne idem miseram prosternere casus
Cogerer ut vitam perdere dando meam?

Sumite

Sumite nubentes illinc exempla puellæ.
Discite quæ vobis jura marita ferant.
Quid juvat ast vanis cœlum pulsare querelis?
Quid juvat iratum solicitare polum?
Dixerat, & statuit constanter ferre dolores.
Atq; tulit donec vita relicta fuit.
Hæc poterant, Hübnere, tuam prosternere mentem.
Hæc quoque perpetui causa doloris erunt.
Quid tamen hîc facias? Hæc est ter sancta voluntas
Numinis, hanc summum spernere velle nefas.
En tibi Numen adhuc mediâ demonstrat in ira.
Addictum penitus quo sit amore tibi.
Conjugii quando pignus prædulce relinquit.
Quod damnis aderit certa medela tuis,
Cum posthæc repet cari per colla parentis,
Atq; tuum gremium, sarcina grata, premet.
Quando tibi madidos lacrymis deterget ocellos,
Et sic supplebit matris abunde vices.
His addit complura tibi solamina Numen
Pluribus & pendet damna relata bonis.

M. CHRISTOPHORUS Hartknoch.

QUis desiderio sit pudor aut modus
Tam chari Capitis, tam placiti boni?
Quis durum calidis non riget imbribus
Fatum Conjugis optimæ?
In primis viduam Magnifici Viri
Sortem, post aliam tempore tam brevi,
Ecquis non doleat? Funera Behmiæ
Ecquis non doleat Domûs?

Certè Caucasio marmore durior,
Ursis, tigridibus, stipitibus, trucem
Et si quæ redolent barbariem, feris
Longè sit truculentior,
Lugubres igitur præcipe nenias,
Tristem, Melpomene, cui lacrymam dedit
Consternatus eo funere Delius,
Luge, die Epicedia.
Ergóne HÜBNERIAS perpetuus sopor
Urget delicias, fœmineum decus,
Uxorem teneram lætitiam Domûs,
Annis in juvenilibus:
Ergóne altera jam morte Puerpera,
Lucinæ auxiliis orba cadit, novam
Edens progeniem, Filiolam Patri,
Jucundum thalami lucrum?
Multis Illa bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior quàm Tibi, Magne VIR,
Quàm Patri lacrymis insatiabili,
Cassis Conjuge, Filiâ.
Nunc demum solidam lætitiam suo
Conforti, pariter lætitiam Patri,
Multùm debuerat gignere amabilis,
Pulchrâ prole superbiens.
Sed spes ô steriles! irrita gaudia!
Mundus nil validum, nil solidum tenet?
Quicquid nos recreat, frangitur ut vitrum,
Splendens ut glacies perit,
Ut scandens tenuem fumus in aëra
Disparet subitò, bulla supernatans
Ut vanescit aquis, nobilis ut rosa,
Ut flos interit elegans,

Nequicquam lacrymas funditis, heu, pias,
Et desiderio discruciamini,
Dum Lecti Sociam, dum Sobolem, DEum
Vitæ poscitis arbitrum.
Quamvis Threicio blandiùs Orpheo
Possetis citharam tangere, non tamen
Extinctæ redeat sanguis imagini,
Fatum quam rapuit semel.
Æquâ mente igitur suscipite hoc onus,
Quod Vobis sapiens imposuit DEus.
Durum. Sed levius fit patientiâ,
Quicquid corrigere est nefas.
Jam defuncta piè deliciis poli
Gaudens perfruitur, Filiolam Patri
Linquens, eximium Conjugii brevis
Pignus, Mnemosynon Sui.
At Tu Rex hominum, qui regis omnia,
Prostratum Viduum cœlitus erige,
Conserva sobolem, da patientiam,
Post fletum nova gaudia!

Condolens apposuit

VENCESLAUS JOHANNIDES,
Gymnasii Thorun. Profess. Publ.

Conjugibus qvantos infligat parca dolores,
Cum benè compositos rumpit acerba toros.
Credere nemo potest, nisi dispoliatus honestâ
Conjuge, cui summo junctus amore fuit.
Annon sentires multos, VIR CLARE, dolores,
Dum pia Te conjux deserit ante diem.

Conjux quæ dulci tecum certabat amore,
Quæq; erat ad nutum ritè parata tuum?
Omninò, multo lacrymæ ſuper ora ſolutæ
Ja ſatis oſtendunt mæſtaq; verba ſimul.
Pone modum lacrymis, Mæcenas, pone dolorem,
Ingeniô Fatum triſtitiamq; doma.
Nil ſit in humanis tandem ſine Numine rebus
Eſt DEus in Sanctis mirus ubiq; Suis.
In cœlis tua nunc Uxor ſecura triumphat
Complexu in medio contuituq; DEI.

Condol. adjecit
GEORGIUS LEHMANNUS,
Gymn. Coll.

NÆ Tua ſors variat, THORUNI Gloria magna,
Magne Vir, heu, repeto, ſors Tua næ variat!
Vix ſpatiô luſtri confectô, bis Tibi tædas
Gratati, flemus damna ſecunda tori.
Aſt variet quoadusque velit ſors, ſæpius atque
Immutet, veluti Luna ſubinde, vices;
Haud ſine ſupremi variat moderamine certè
Numinis. Huic noſtrum velle ſubeſſe decet
Blanditur? Pater eſt; Pater eſt dum verbere cædit,
Intentus noſtro ſorte in utraque bono.
Parciùs hinc doleas, *Vir inclyte*, nosque tuopte
Exemplô, quî ſint dura ferenda, regas.

PAUL. BRAMIUS,
Præc. Claſſicus.

Perfida

PErfida Mors rursùm CONSUL venerande, sagittam
Lethiferam in thalamum conjicit ecce Tuum.
Heu dolor! ut miseras Te lux effudit in auras,
Dum socias unâ morte perire vides.
Perpetuos igitur luctus Tibi funera texunt,
Nec cessat mœstum tibia flare melos.
Quid facies tandem, CONSUL viduatus amicâ?
Perpetuò perges dilacerare genas?
Sit procul à Forti id, sapiunt hæc ethnica tantùm.
Exulet inde dolor, nigraq; nox fugiat.
Terrigenûm custos vires Tibi suggerat aptas,
Ut superes fortis turbida quæq; mala.
BEHMIA Tuq; Domus procul hinc dispelle dolores,
Ex oculis quamvis Filia chara abiit.
Qvemlibet urna vocat: sic cogimur ire sub umbras,
Seriùs aut citiùs, sit modo nostra salus.

Mœstus adposuit

JOHANNES Burschöt/
Præc. Classicus.

PRoh dolor! ad nostras qvid jam devolvitur aures?
Dicitur HÜBNERUS dilaniare genas?
Quid fletus, planctus sibi vult? quid syrmata nigra?
Cui cantabantur Carmina læta modo?
Ah! nuper dulcem Behmio de sangvine Costam,
Quæ sociata fuit, trux Libitina rapit!
Eheu! dulce decus, Magnum solamen in amplis
Curis, & sancti gloria Magna tori;

Quæ

103 130

Quæ pia, casta fuit, variâ virtute corusca,
 Hæc dirâ mortis falce perempta jacet!
Hanc Genitor, fratres plangunt, defletque Maritus,
 Nobilis & lacrimas fundit ubique Domus.
Sed præmaturo Tibi raptam turbine fati
 Non Tua flet Tecum sola, PATRONE, Domus.
Cum Magna HOFMANNI sacris facundia Rostris.
 Personat, haud siccis pars sedet ulla genis.
Illacrimant duræ vel ferrea pectora sorti,
 Et Thalamum in Tumulum sic recidisse gemunt.
Carmine dumque meum paro demonstrare dolorem,
 Singultus faciles impediere sonos.
Sic Tibi, MÆCENAS, solatia dicere Mœsto
 Dum conor, multis impedior lacrymis.
Ergo unum superest ut signem Marmora Versu,
 Sub quibus Illa suum clauditur ante diem.
ANNA REGINA sui Behmio de stemmate sexûs
 Jaspis, dum nova fert Nomina Matris, obit.
Spiritus ætherias sedes tenet; Ossa qviescunt;
 Solamen Patri parvula Gnata manet.

Mœstus apposuit

CHRISTOPHORUS WOYT.